



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Initium Sapientiae & Finis: Timor Domini, & Amor Dei: Seu
de fuga peccati, deque dilectione summi boni**

Comitin, César Jean-Baptiste

Coloniae, 1709

§.6. Solus par Deus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50773)

horrescas multò magis. Si maria omnia in lacrymas, cælum omne in gemitus, quicquid est in suspiria verteretur; ne sic quidem hujus incendii vel scintillã exringueres. Audi amplius. Si quot stellæ in cælo, quot stillæ in mari, quot arenæ scrupi in littore, tot essent mundi in cinere & cilicio; ad expiandam vel unicam labem, fieret nihil. Audi amplius. [S. Aug. D. Thom. Suar. Vasq.] Si ad hoc Angelorum, hominum, dæmonum etiam infinita multitudo concurreret, votis, pœnis, flammis, infinitis, immensis, sempiternis. Audi amplius. Si singuli eorum, quos dixi, omnes omnium infernos exantlarent, & singuli essent infiniti, & infiniti infinita sufferrent, & infinito tempore; tot victimæ, [ô rem incredibilem, sed verissimam!] tot & tantæ victimæ nunquam litarent, quantumvis æternùm facerent ac voverent. Comprehen- dis? aut si tibi hæc vertiginem afferunt, fateri omni opinione majus esse hoc malum.

§. 6. *Solus par Deus.*

Unus par, qui maximè impar, Deus. Hic tibi novum aperio theatrum. Calvariam. Deus patiens, Deus in cruce. O tragicam scenam! Numerosa sputa, colaphos, flagella, spinas, clavos, cruces. Cogita deinde, quid

fit hæc pati Deum. Expende, qui valor sit sanguinis tanti. Expende, inquam. Pervenisti ad summam. Hoc, hoc pretium peccati fuit; sanguis Dei, vita Dei, mors, crux, anima Dei. O rem inexcogitabilem! & miramur Anselmum, (*De similitud. cap. 190.*) cum dicit? *Si hinc peccati pudorem, & illinc cernerem inferni horrorem, & necessario uni illorum haberem immergi, prius me in infernum mergerem, quàm peccatum in me immitterem. Mallem enim purus à peccato & innocens gehennam intrare, quàm peccati sorde pollutus calorum regna tenere.* Non miror, non miror, si parricidam Christi non amat etiam in cælo; si flammam non timet etiam in inferno. Mutatur scena, & cælum fit infernus cum hac furiâ furiarum, quæ dæmoni quoque dæmon est, & flammis oleum ac bitumen. Adest? ardent omnia, etiam *asbestina*, Angeli & Animæ. Abest? ros ubique, etiam in fornace.

§. 7. *In hac quoque vitâ punitur,*

Et quidem ardentem in cælo, in paradiso, in inferis, in ipso Deo vidisti; ecce do conflagrantem in terris. Recordare adulterium Davidis, furtum Achani, blasphemum Rab facem. Revolve annales, quoties unius ob culpam & furias regna in exitium data; hîc mil-